

42.

M. MARTINUS. LUBATH.
BERLIN, MARCH.
CIVIBUS. ACADEMICIS.
IN.
ACADEMIA, FRIDERICIANA.
S. P. D.



HALLÆ,
Typis CHRISTOPHORI SALFELDI, REGIMINIS ELECT.
BRANDENB. Typ.

De Methodo & Ordine in studiis observando.

Encycl.

179, 34.

MEMORIALS LUBATH
LUBATH MARCH
CIVIBUS ACADEMICIS
ACADEMIA PRIDEVICIANA
CHRISTOPHORI SAUERBACH
BRANDENBURG



Q. D. B. V.

Si magna quotidiè se nobis objiciant obstacula, quæ animum discendi cupidum distingvunt & studiorum impediunt cursum: tamen facillimò negotiò huic malo afferri potest medela, si Illorum nempe Virorum premimus vestigia, qui saluberrimis monitis animum ad summam nitentem instruunt. Viâ rectâ qui Urbem petit, feliciter illam ingreditur, quam qui per densas sylvas & horrida dumeta iter ad eandem molitur: pari ratione facilius stadium studiorum decurrit & Summum Eruditionis Cacumen consequitur.

) (2 qui-

quod videtur, qui apte & ordinate illa pertra-
ctat, quam qui *ἀμειβομένως* iis operam navat,
& per confusam, licet multam, rerum
cognitionem posteritati ferere anniti-
tur. Et de his eleganter admodum Ma-
gnus quondam Theologus & Acutissi-
mus Philosophus B. JAC. MARTINI in *Pæd.
Præf. ad Lector* judicat; *Quemadmodum, inquit,
in rebus Civilibus interdum bona quidem causa est,
sed male agitur: Ita etiam fieri potest, ut alicujus
rei scientia & causa teneantur, modus tamen tra-
ctandi ignoretur. Atque tales quidem homines hac
afficere laude solemus: eos sanè doctos esse, sed non di-
dacticos, multarum quidem rerum gnaros, sed
confusos.* De illis verò nervose scribit PLI-
NIUS *Lib. III. Ep. XIII. pag. m. 199. Disponere
apte & figurare varie Eruditis tantum concessum.*
Cardo igitur studiorum in cognitione
rerum & bene dicendi æque ac dispo-
nendi facultate vertitur, quas si secta-
mur, incredibilem fructum Totus Orbis
Literatus sibi pollicetur; & ad has om-
nis

mnis labor, omnesque lucubrationes dirigendæ, nisi ambages & præcipitia, per quæ ivimus, detestari velimus, ac temporis in futilibus rebus collocati jacturam deplorare. CONRADUM GESNERUM, qui THEOD. BEZÆ *in Icon.* ALTER VARRO ac GERMANIÆ PLINIUS, & CASAUB. *in Athen. L. VII. Cap. XVIII.* IMMORTALE TIGURINORUM DECUS dicitur, inopia consilii ita vagatum in studiis fuisse refert ADAMUS *in Vit. Medicorum pag. 147*, ut per totum vitæ tempus, de fructu ex literis tractatis nunquam satis percepto, fuerit conqvestus. In vita contra VERULAMII Operibus Ipsius præmissa reperimus, SAMUELEM COLLINIUM *Profess. Theolog. in Academia Cantabrigensi*, cum Librum VERULAMII *de Augmentis Scientiarum* legisset, de integro studia coepisse alioque & faciliori ordine pertractasse. Hinc exquisitæ Eruditionis Vir DAVID CHYTRÆUS *in Regulis Studior. p. 3.* præclare monet Studiosos, ut

) (3

III

in Omni literarum labore & cujuscunq;
Autoris lectione cogitent, quam inde
Utilitatem & fructum vel ad rerum Co-
gnitionem adipiscendam, vel ad faculta-
tem bene dicendi scribendiqve augen-
dam consequi possint. Cæterum me
ad id accingam, in cujus gratiam pauca
hæc dixisse sufficiant. Constitutum
mihi namq; est in Illustri hoc Loco Col-
legia quædam pandere, in quibus non
solum de Variis Scientiarum generibus,
quid in Unoquoq; pulchrum sit atq; ex-
cellens, de ratione legendi Autores, de
commodis Studiorum eorumq; incom-
modis, apta & concisa Methodo agam:
sed &, quâ viâ diversi generis Epistolæ
& Orationes, necnon Parentationes tam
Latino quam Germanico Idiomate sint
conscribendæ ac elaborandæ, succinctè
tradam. Et cum Eloquentia non tam
Artis ope quam exercitio acquiratur,
quod

quod Exemplū JOSEPHI SCALIGERI com-
probo, qui per declamationes quotidiana-
nas ad Eloquentiæ fastigium pervenit,
ut hodiernum admirationi omnibus ha-
beatur, ceu ex *Epist. 1. de Vita Parentis* pa-
tet; quasdam etiam dispositiones pro-
prio studiō GENEROSIS ac NOBILISSIMIS
DNN. COMMILITONIBUS elaborandas
suppeditabo. Præterea cum non pa-
rum sapientiæ in Vitis & Rebus gestis
Imperatorum, Regum, Ducum & Prin-
cipum, sit reconditum, quæ magnam
Oratoriæ affundunt Lucem, GEORG.
LOHMAJERI *Tabularum Genealogicar.* partem
priorē, quam non ita pridem edidit, ad ma-
nus sumam, ubi primum Origines Uni-
uscujusvis Familiæ evolvam, dein i-
psum Autorem justâ serie percurram,
denique de Insignibus ex Heraldicis non
nulla adjiciam. Nec Studiosis Theo-
logiæ me defuturum sanctē polliceor,
sed

fed quantum in meis viribus repositum
est, id Unicè illorum Studiis consecra-
bo. Quibus ergo ex GENEROS. ac NO-
BILISS. DNN. COMMILITONIBUS hic labor
noster è re esse videtur, me finitis sacris
Pomeridianis haut gravatim conveni-
ant, ubi de commoda hora deliberabi-
mus. Ego eò omnes intendam nervos,
ut si non Excellentia Doctrinæ, tamen
Brevitatis & Perspicuitatis Studio me
Unicuiq; commendem. Dab. è Musæo
in Ædibus Consulis quondam hujus Ci-
vitatatis, B. SEYFFARTI, quæ in Platea sitæ
sunt, cui Coenobium ibidem exstructum
nomen indidit, ut vulgò die Barfüßer-Stras-
sen nuncupetur. D. XXIII. De-
cembr. A. O. R. M. DC. XCII.

